notitia, juſti atque injuſti ſcientia.

atque notitia juſti & injuſti, in rebus tàm divinis, quàm humanis. Facit huc, quod Legum auctoritas, & divinas & humanas res bene diſponat. l. 1. (quæ eſt conſtitutio de concept. Digeſt.) §. cum itaque. 1. C. de vet. jur. enucl.

III. *Ratio juris docendi.*

§. 2. His igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere jura Populi Romani *a*, ita videntur poſſe tradi commodiſſimè, ſi primò levi ac ſimplici via, pòſt *b* deinde diligentiſſima & exactiſſima interpretatione, ſingula tradantur. Alioquin ſi ſtatim ab initio rudem adhuc & infirmum animum ſtudioſi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut deſertorum ſtudiorum efficiemus; aut cum magno labore, ſæpe etiam cum diſſidentiâ (quæ plerunque juvenes avertit) ſeriùs ad id perducemus, ad quod leviore viâ ductus, ſine magno labore, & ſine ulla diffidentiâ, maturiùs perduci potuiſſet.

a) *Ex hoc Iuſtiniani, non quodcunque, ſed ſolum Romanum jus exponere volētis propoſito, apparet, quare & ſequentium diviſionum membra, ita definitè proponantur, ut non ad quamvis, ſed ſolam Romanam Remp. relata quadrent.*

b) *Vtrumque hic eſt obſervandum: ut & à levioribus incipiatur: & tamen in levioribus iſtis non ſubſiſtatur, ſed pòſt etiam ad diligentiſſimam tractationem procedatur.*

IV. *Summa juris præcepta.*

§. 3. Iuris præcepta ſunt hæc: honeſtè *a* vivere: alterum non læ-

a) *Quorum primum redere:*